



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illustrium Virorum Poemata

Amstelodami, 1672

Ad Hortensium Maurum Veronensem, Georgio VWilhelmo, Duci
Brunowicensi & Lunaeburgensi, ab epistolis, acidulam fontis Melliti, juxta
Smechtam, pagum Dioecesis Paderbornensis, hoc Epigrammate
laudantem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11215

A D

S. BARBARAM VIRG. & MART.

pro fausto vitæ exitu.

BArbara, supplicibus Virgo non aspera votis,
 Has, rogo, neglectas ne sine Virgo preces.
 Stamina cùm vitæ candente fluentia filo
 Præcidet Parcis de tribus una foror,
 Et Mors atra suos diducet, & Orcus hiatus,
 Coget & infernas in mea damna manus:
 Tunc succurre meo tam mitis, Diva, labori,
 Immitis genitor quàm fuit ipse Tibi.

A D

HORTENSIUM MAURUM

Veronensem,

GEORGIO VVILHELMO,

*Duci Brunowicensi & Lunaburgensi, ab epistolis
 acidulam fontis Melliti, juxta Smechtam,
 pagum Diœcesis Paderbornensis, hoc
 Epigrammate laudantem.*

AUrea dum primæ coluerunt sæcula gentes,
 Ambrosias populis mella dedere dapes;
 Aëriæ quercus sudarunt roscida mella,
 Mel fuit in foliis, mel fuit inter aquas.

Te quoque, qui reddis nobis ea tempora, Princeps
 Inclyte, non miror mellis amore capi.
 Cùm Tu sis verè mirâ dulcedine morum,
 Melleus ingenio, melleus eloquio;
 Par est, ut fontes ipsi Tibi mella propinent,
 Ut Tibi mellitas terra ministret aquas.

Responsum Auctoris.

Mellitosis latices nuper dum libat Apollo
 Imbutos venæ nectare, Maure, tuæ:
 Non magis insignis mirâ virtute medendi,
 Carmine quàm Mauri nobilis unda mei.
 Vatis, ait, tanti meritis & laude superba,
 Castalii poteris vincere fontis aquas.

FONS PAMPHILIUS,
 INNOCENTII X.

*Pont. Opt. Max. opus admirabile, in circo
 Agonali Romæ.*

ORbis quadrifidi simulacrum cernis in Urbe,
 Flumina qui nostro fonte quaterna bibis.
 Hic Ganges, hic qui dulces Argenteus amnis
 In mare, perruptâ Doride, volvit aquas.
 Hic Ister pronâ recubat septemfluus urnâ,
 Et totidem Nilus cornua fronte gerit.

P 5

Omnes

¹ *Amnis Argenteus*, qui Hispanis dictus *Rio de la Plata*, hoc est ab argento, leucarum quadraginta ostio in mare fertur adeò violentus, ut inde nautæ dulces hautiant latices, priusquam tellurem ex alto conspiciant. *Massani Hist. Indica lib. 2.*